



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

104. An in dubio facti censendus sit quis irregularis si agatur de
homicidio? Ex part. 8. tract. 7. & Misc. resolut. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nostræ conclusionis probatur ex dictis *cap. ad audientiam*, & *cap. significasti*. Secunda pars probatur, quia omnia clamant in casu dubio neminem esse puniendum, eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis; ad rationes vero superius adductas respondet Sanchez & alii ubi supra. Ex his inferitur contra Henriquez lib. 1. *cap. 3. num. 4.* dubium an mutilaverit non esse irregularem, cum iura, ut dictum est, in solo dubio homicidii hanc irregularitatem statuerint, non sunt extendenda ad dubium facti mutilationis. Ita Sanchez tom. 1. lib. 1. *cap. 10. num. 49.* & alii. Deinde ex his sequitur quod in dubio iuris quis non sit censendus irregularis, quando videlicet non constat irregularitatem aliquam esse à jure statutam, quod clare probatur ex *cap. is qui de sentent. excommunic. in 6.* ubi dicitur irregularitatem non incurri, nisi quando est expressa in jure: ac quando jus est dubium, non dicitur esse expressa in jure. Ergo, & ita docent DD. cit. ubi supra.

3. Non tetricam tamen hic adnotare aliquos asserere etiam in dubio facti homicidii neminem se irregularem gerere debere, & ad *cap. audientiam*, respondent procedere quando homicidium, ut verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sic videri declaratum, ab Innocent. III. *cap. significasti 2. ad fin.* & hanc sententiam non esse improbabilem, docet ipsemet Sanchez de censur. disp. 40. sect. 6. num. 70. & post illum Salas in 1. 2. tom. 1. *quest. 2. 1. r. 8. disp. 1. sect. 6. num. 70.* Alphonsus de Leone tr. de potest. confessor. tom. 1. *recollect. 17. num. 57.* & Rebellius part. 2. lib. 1. *quest. 3. sect. 2. num. 13.* asserens quoddam recentiores ita sentire; sed non est recedendum à contraria sententia, nisi in dubio homicidii iuste commissi, ut in bello iusto, nam in hoc casu dubitandum, ut supra diximus, puto non esse irregularem, quia in *cap. ad audientiam*, & in *cap. significasti*, sermo est in dubio facti homicidii; occisio autem iniusta non venit sub nomine homicidii. Ergo, &c.

RESOL. CIV.

An in dubio facti censendus sit quis irregularis, si agatur de homicidio? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 6.

Cum communi sententia Doctorum, affirmativam sententiam docui in parte 4. tr. 2. *resol. 52.* Sed novissime (attendas quæso, amice Lector) negativæ sententiæ adheret Ioannes Escobar in 1. 2. tract. de iur. foro, art. 1. num. 74. ubi sic ait: Ego verò, ut veritas noviter appareat præter omnes, quos viderim contendo, nullum discrimen inter dubium circa homicidium, & inter dubium circa alias, præter homicidium, irregularitatis causas; nam quocumque casu dubium vertatur, excludi irregularitatem verisimilium censuo; nusquam enim vidimus aliquem jure puniri ob delictum, nec ob causam dubiam; certum enim debet esse factum, ut puta homicidium, mutilatio &c. ob quod incurritur irregularitas; alias dubio facto manente, potest quis vi ea possessione, in qua ante factum dubium constitutus erat: quæ regula locum obtinet tam in foro seculari, quam in foro animæ, uti ex pluribus observat Sanchez 1. in Decal. d. c. 10. n. 1. Bonacina 2. de peccatis q. 4. punct. 7. num. 13. vers. Insuper, & de rescript. disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 34. & seg. Ioan. Sanch. select. disp. 42. quare dubio manente, an homicidium sit sequutum, nulla aderit irregularitas; quod etiam in cæteris causis irregularitatis servandum est, ut probabimus: sicut enim dubitans an damnum intulerit, vel homicidium commiserit, ad restitutionem non tenetur, quæ jure naturali & divino provenit, ut patet Tob. 2. 21. & Math. 22. 21.

Tom. V.

& ad Roman 13. 7. multo minus irregularitati subijcitur, quæ juris positivi est, licet in hoc contrariam habeamus Henriquez 13. de irregular. cap. 16. num. 3. maxime dum certum jus ita statuens, non apparet, sicut in specie propoſita nullum extare asserimus, ut ex dicendis patebit.

2. Tota igitur difficultas manet in intellectu textus in d. *cap. ad audientiam*. 12. *cap. significasti* 18. quod se discerni, *cap. pen. extr. de homicid.* in quibus aliud constitutum videtur, & sunt fundamenta potiora contrariæ sententiæ.

3. Dicendum est igitur, textum in d. *cap. ad audientiam*, 12. de homicid. nec contra nos esse, nec probare communem opinionem supra relatum, cum in eo maneat certa mors famuli, certa culpa Præbyteri, & certum vulnus contra quem est juris præsumptio, nempe mortem ex vulnere ab eo illato securam fuisse, sequitur necessarîo contra illum judicandum, non tam circa reatum homicidii, leg. ita vulneratus 51. & leg. segg. ad leg. Aquiliam, cap. 2. de Cleric. percussore, cap. continebatur. 8. *cap. significasti*, el. 2. 18. in ord. de homicid. Ant. Gom. 3. var. cap. 3. num. 29. Gall. observat. 111. n. 11. & alii penes Farinacium 3. tom. de homicid. quest. 127. n. 21. & 23. Sed etiam circa incurſam irregularitatem, de qua loquitur d. *cap. ad audientiam*, & DD. citati circa supra n. 67. & seg. & num. 71. Quamvis vertatur dubium circumstantiam homicidii, nempe, an ex vulnere, vel ex infirmitate, vel ex incurſu Medici, excessivè vulnerati mors fuerit secuta; nam certo vulnere extante, & morte vulnerati dubium incidens, non debet attendi, ne certum pro incerto omittatur; nec quidem omitti debet possessio, tam quæ est pro lege inducente hoc in casu irregularitatem, quam quæ est pro mortuo, & tam ratione vulneris quam culpæ vulnerantis, ob quam cecidit vulneratus à possessione innocentie suæ, & exercendi sacra, nec juvari ea poterit, habendo contra se occisum certum, & certam culpam, pro quo est tutior pars, & major verisimilitudo in eo, quod mors obvenit ex vulnere, tam ratione periculose partis, nempe dorsi, ubi fuit vulnus, ex adductis à Farinacio de pena tempor. quest. 96. num. 52. & 3. p. quest. 127. num. 5. quàm ratione infirmitatis, quæ potuit oriri occasione vulneris, & ita ratione utriusque mortem obvenisse, absque excusatione ulla ex parte vulnerantis, pro quo major verisimilitudo est, quàm ex contrario, & ita utraque facie adest certum factum homicidii, non dubium.

4. Nec quidem contrariam habemus text. in d. *cap. significasti* 18. §. quod si discernis, eodem tit. de homicid. In quo etiam habemus certum occisum ex certo vulnere, & à certo inflicto vulneranti, habemusque etiam certam ejus culpam, cum cooperatus fuerit in occisione; & ita habemus etiam certum effectum, id est, irregularitatem ex certo facto, & certo jure procedentem, ut in præmissis 1. n. 77. dixi. Dubium quidem circumstantiæ est, an ex hoc, an ex illo vulnere mors fuerit secuta, quod in considerationem non venit adversus tot certitudines in principali, quod retulimus, & cum omnes auxiliantes, sive cooperantes concurrerint ad vulnerandum, occidendum, &c. non in dubio, sed verè & evidenter, necesse est ut concurrant irregularitatem, & locum habent cæteræ rationes, de quibus in præced. duobus numeris.

5. Itidem eandem responsionem admittit textus in d. *cap. penult. de homicid.* in quo certò apparent plures occisi, certæ percussiones, certaque culpa ex parte Pelagii Præbyteri, qui quosdam percussit, & remordebat eum conscientia de interfectione alicujus ex quatuordecim, & qui occisi extiterunt, quod sufficit ad incurſum irregularitatis, ut patet ex d. *cap. significasti*, & ibi communiter DD. & ex pluribus citatis per Bonac. 7.

Y 3 de

de irregularit. quest. 4. punct. 8. ex num. 28. & per Farinacium 3. tom. quest. 130. de Consultor. num. 10. & 11. quod procedit, non velut in re dubia, sed in certa, cuncta fuerint necesse, & certae percussiones, licet dubia aliqua sit circumstantia, quae vinceret, non debet cegritudinem meri facti, quae verè adest, & ita erit consultius abstinere, quam temerè, celebrare, ut textus idem subdit. Hucusque Escobar, cuius sententiam novissimè probabilem putat alius Escobar Societatis in Theolog. moral. tract. 4. examen. 6. capit. 5. num. 72.

6. Sed ego non audeo discedere à negatīvā sententia communi, quam stylus Curiae Datariae & Penitentiariae observat infallibiliter. Et ita hanc sententiam novissimè docet, me citato, doctus & amicissimus Pater Franciscus de Lugo in princip. Theolog. moral. part. 1. quest. 27. numero 155. & quest. 26. num. 151.

RESOL. CV.

An si quis manet dubius, an suum consilium inflexerit ad homicidium factum, debeat se reputare irregularem? Et in dicto casu, an standum sit dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium, consulens maneat liber ab irregularitate. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 25.

Sup. hoc in Ref. seq. & infra ex Ref. 109. § No. tate per totum & signanter ante medium, & in to. 8. tr. 5. ref. 8. 8. & in aliis ejus primis not.

§ 1. AD hunc casum frequentissimum affirmative respondet Praepositum in 3. p. quest. 5. de irregul. dub. 8. n. 64. Sed negativam sententiam tenet Henriquez lib. 13. cap. 10. num. 3. in glos. lit. D. ubi sic ait. In dubio aequali post factam diligentiam potest practice deponere dubium & scrupulum, reputans se excusatum ab irregularitate propter possessionem innocentiae. Sic ille.

2. Verum sententiam affirmativam tenet etiam Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 44. Sayrus de cens. lib. 7. cap. 3. num. 2. Merolla in disput. Theolog. m. 1. cap. 3. disp. 3. num. 251. Tabiena & Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 2. conclus. 5. ubi nota quod si homicidium commissum si post multos dies, res manet dubia, an consilium inflexerit. Sed quoad hoc, contrariam tenet Tabiena ver. consilium, num. 6. ubi sic asserit. In dubio praesumitur delinquentem fuisse motum ex consilio, alias non fuisset facturus, & etiam si steterit per multos dies post praesumitur quod fecit propter illud consilium. Ita Tabiena. At cum Avila tenet Praepositus loco citato; tu ne discedas à sententia affirmativa, quam praeter Doctores citatos tenet etiam Petrus Cornejo in 3. part. tract. 5. de irregularitate disp. 1. dub. 2. ubi tamen, & optime advertit quod in tali casu standum est dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium liber manet consulens ab irregularitate.

Sup. hoc in ref. 1. not. praerogative, § respondeatur, & in ref. 2. in eodem § & in ref. 3. §. Sedem &c.

RESOL. CVI.

An dubius, si mandatum suum, an consilium inflexerit, in homicidium, debeat se irregularem existimare? Et docetur non esse irregularem, qui non potuit dissuadere semina abortum, cuius consilium ipse prius auctor fuerat. Ex part. 11. tractatus 6. & Misc. 6. Resol. 42.

Sup. hoc in ref. praerogative & in aliis ejus primis not.

§ 1. NEGATIVE contra me, & alios responderet ex Henriquez novissimè Pater Gibalinus de irregul. cap. 4. § 1. consulti. 11. num. 32. ubi sic ait; Nego in utroque illo dubio contrahi irregularitatem: quare

poterit Consiliarius iste deponere dubium practicum, atque sacra more solito peragere; quod evidenter sequitur ex regula universali à nobis stabilita concessa tertio, diximus enim in dubio facti contrahi irregularitatem in solo homicidio ex peculiari juris dispositione, quae neque in aliis irregularitatibus valet, neque nisi in casibus à jure expressis, atque in jure nunquam habetur in dubio, an consilium inflexerit in homicidium, contrahi irregularitatem, nam loca omnia, quae tribuunt hanc irregularitatem consilio, supponunt vi illius positum fuisse effectum: de dubio autem an ex illo consilio fuerit secuti caedes nihil planè definiunt; quare relinquunt juri communi quod in dubio facti irregularitatem contrahi non vult, nisi in quibusdam casibus ab ipso jure expressis cap. ad audientiam, & c. significasti 2. de homicidio. Iteor quidem in hoc dubio praesumitur consilium fuisse operatum, ut cum Covar. diximus lib. de censur. cap. 5. § 3. num. 21. Quare ex ea praesumptione damnabitur unquam irregularis iste Consiliarius non ratione dubi homicidii, sed certi, & constantis ex ea praesumptione, cui definitioni non tenebitur se aptare forum internum quod ducitur rei veritate, & non sola praesumptione quam sequi saepius cogitur forum externum. Hocque Gibalinus; & si haec sententia est probabilis à multis scrupulis plures immunes erunt.

2. Sed ego non recedo à sententia, quam olim Doctores cui & docet praeter alios doctus Magister Cornejo in 3. part. tract. 15. de irregul. disp. 1. dub. 2. fol. 77. n. 3. ubi sic ait; Sed quid si consulens dubitet an ad hoc consilium praestitum hoc homicidium sit commissum, nec ne?

3. Responderetur standum dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium, neque ad substantiam, neque ad circumstantiam homicidii, liber manet consulens ab irregularitate; ita Sayr. lib. 6. c. 2. quod si hoc non possit ab eo sciri, utendum est prudentibus conjecturis, si omnibus pensatis existimetur consilium non concussisse ad tale homicidium, consulens non erit irregularis si tamen omnibus inspectis dubium manet, irregularis est censendus; tum propter supradicta in dubio de homicidio, tum etiam quia in dubio praesumendum est, quod aliter non committeret delictum, nisi instigantur consilio, lege merito ff. pro socio. Ita Cornejo, cui adde Caltrum Palaum tom. 7. disp. 6. punct. 1. § 2. num. 3. & alios penes ipsum.

4. Verum circa praesentem difficultatem doctissimus, & amicissimus Barbi de consens. disp. 6. c. 7. § 8. num. 3. & 4. & Sanchez; Merolla distinguunt; Dico igitur primò; si constat de homicidio jam perpetrato, & dubitato solum versetur, an consilium praestitum, habuerit influxum aliquem in delictum, quia praesumptio est contra consulentem ipsum, deberet enim probare homicidium vi sui consilii minime illatum fuisse, quod in quibusdam circumstantiis, hoc est, ex assertione occidentis adminiculata aliis conjecturis, poterit probari, si autem hoc non probetur, jus praesumit, quod si consilium datum non fuisset, homicidium illud minime commissum fuisset; neque praesumptio ista censetur temeraria; quantum ex una parte habemus effectum, videlicet homicidium; & ex alia causa habemus causam sufficientem applicatam fuisse, nempe consilium praestitum, idcirco nisi oppositum appareat, censendum erit homicidium vi praedicti consilii secutum fuisse. Tunc veram censuram sententiam affirmativam; quia dicit secundò si dubium de influxu consilii emergat non constante de delicto, id est de homicidio, admittendum esse iudicio priorem sententiam, quia cum crimen non probatur praesumptio est pro reo, nempe pro consulente; ideoque non debet irregularem se existimare.